



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm IV. Cæterùm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

quia est species sacrilegii, ideoque crimen mixti fori, ut dixi in c. *Cum sit. 8. de foro comper.* cum Ordinarius sit iudex causae huius, consequenter etiam testes compellere potest ad testificandum, quatenus eorum testimonium necessarium est.

Nota II. Secundum forum Canonicum etiam in causa criminali testis cogitur testificari, si veritas aliter cognosci nequeat, ut docui supra in cit. c. 3. & sumitur ex hoc c. cum enim ex Pontifice quaesitum esset, num ii, qui commisso facinori praesentes fuerunt, si testificari nolint, cogi debeant, ipse generalem dat responsum in rebus seu causis istis Ecclesiasticis, semper esse cogendos testes, si veritas aliter cognosci non possit, itaque hoc ordinariè verum est siue sit causa civilis, siue criminalis, & ita docent hic *Imola, Abbas, Felin. & alii.*

## CAPITVLVM VI.

## Cæterum.

## PARAPHRASIS.

Dubitandum non est, quod testis productus super consanguinitate testimonium ferre cogendus sit, si constet eum ex gratia odio vel timore, veritatem suppressurum velle, cum id tam ius scriptum approbet, quam consuetudo actibus ventium comprobata.

## SYMMARIVM.

1. Qui testari recusat timore personae à qua sibi malum inferendum metuit, ad testificandum cogendus.
2. Ius scriptum si consuetudine diuturna approbatum & confirmatum sit, magnam vim habet.

NOTA I. Testis secundum forum Ecclesiasticum cogitur testificari, si constet eum vnius partis favore vel alterius odio aut denique timore mali sustinendi veritatem occultare velle. Quod verò in textu dicitur si de hoc constet, bene expli-

cat gl. praesumptiue, si enim causam non afferat probabilem testis, cur nolit testificari, tunc praesumptio est, quod id agat veritatis suppressor causa propter affectionem aliquam.

Quaeres: de quo timore sermo sit. Resp. de timore personae, quae testi malum irrogabit, si testimonium contra eam dixerit, huic enim malitiae occurrere debet, ut in tali casu testis compellatur. *argum. c. 4. hoc tit.* non autem sermo est de timore ac reuerentia iuramenti, si persona pia, aut religiosa vereatur iuramentum iudiciale, non quod jurare secundum se illicitum arbitretur, sed quia aestimet rem sublimem ac tremendam esse, quod homo in testimonium dicti Deum inuocet: quae ratio spectat à qualitate personae, quandoque rationalis censeri potest, ut ad iurandum non cogatur, si veritas per alios cognosci queat, ut hic *Abbas* tradit.

Nota II. Si ius scriptum consuetudine diuturna approbatum & confirmatum sit, magnam vim habet, de hoc dixi in *lib. 10. Th. Mor. Tract. 4. cap. ult. n. 3.*

## CAPITVLVM VII.

## Præterea.

## PARAPHRASIS.

Si testes publici, qui Synodales quibusdam in locis vocantur, coram Ordinario, vel Capitulo super impedimento matrimonii testimonium protulerunt, & postea causa alicui iudici delegetur, non debent coram eo iterum adduci ad iurandum, nisi iudex veritatem aliter cognoscere nequeat, vel nisi nouus articulus quaestionis emergat, & eiusmodi testes publici propter infamiam superuenientem ipsis, postquam in communi Synodo recepti, ac deputati sunt, à ferendo testimonio repellere possunt. Denique si testes isti in proferendo testimonio re non rectè considerata errauerint & in continenti corrigere velint, audiendi sunt, secus, si interuallum intercessit.

Pro-